Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

Articulus 8

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

Articulus 8.vus

Quænam remedia iis, qui circa horas canonicas scrupulosi sunt inservire possint?

Quando quidem scrupuli circa hanc materiam ut plurimum ex ignorantia oboriuntur, hinc scrupulosis summè necessarium est, ut Auctores de horarum Canonicarum obligatione tractantes consulant. interim tamen eos sequentia notare velim.

Primo, ut omnino caveant, ne cerebrum torqueant, caputq; divexent attentionis habendæ causâ; nam huiusmodi extortæ attentiones Deo nequaquam placere possunt, eoquod hominem ob fatigationem cerebri deinceps ad munia sua ritè obeunda ineptū reddant, quin propè ad insaniam redigant; Itaq; placidè suaviter ac hilariter suas persolvant horas canonicas; hilarem enim datorem diligit Deus.

2.do qui recitavit horas canonicas non potest dubitare de habita intentione ad eas requisita; sufficit enim habitualis, quæ abesse nunquam præsumitur.

3.tio Si contingat inter orandū

variis eum perturbari ac infestari distractionibus, quod maximè scrupulosis evenire solet, propter metum ac anxietates, quibus corripiuntur, dum Deo servitutis suæ pensum persolvunt; nil quidquam repetat, minus disquirat, an voluntariè distractus fuerit, an verò dumtaxat involuntariè, sed interim humilians se coram Domino, ac agnoscens suā infirmitatem, cordisq; instabilitatem, coeptā meliori, quô poterit modô, continuet horam canonicam.

4.to Quo Liberiùs persolvat horas caputq; tantisper sublevet, noverit ei neutiquam expedire, ut semper ad sensum verborū attendat, sed quandoq; consultum erit, ut eô dimissô varios actus virtutum, puta fidei, spei, charitatis & eliciat, aut alias pias placidè foveat cogitationes; hæc enim non sunt distractiones, quē=admodū autumant scrupulosi, sed potiùs orationū ornamenta.

~~5.to Tutâ Conscientiâ, dū eum angit scrupulus suadetq; repetendas esse horas canonicas amplecti poterit opinionem eorum Doctorum qui dicunt non requiri ullam attentionem~~ internam sed tantùm externam ad essentiā orationis; ac proinde, qui voluntariè distrahitur in recitatione horarum canonicarū satisfacere præcepto, dū=modò cum attentione externa, intentionem habeat Deum laudandi; ~~qui~~

5.to Docent quidam, quod dum angit scrupulus, suadetq; scrupuloso repetendas esse horas canonicas is sat tutâ conscientiâ amplecti possit opinionem eorum Doctorum † Hostiensis videlicet, Turrecrem. Ang. Anchar. Vmbert. Armil. S. Anton. Med. Rosel. Dur. Abb., aliorumq; multorū, apud La Croix l. 4. n. 1341. Qui dicunt non requiri ullam atten=

Quod remedium non improbamus nam licet ea, quam præfati doctores fuentur, falsa esset, sententia, inde tamen vix quidquam periculi scrupuloso timendum esset, ~~eo quod~~ tum propter rationem supra parag. 4. allatam tum etiã quia perspicuum habemus scrupulosos à voluntariis distractionibus abhorrere nec facilè sese iis implicare, ac proinde eos plerumq; trepidare, ubi non est timor. *

Sententiã ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~. * Unde scrupuloso suademus, ut in recitatione horarum canonicarum, externam attentionem /: abstinendo videlicet à confabulationibus, oculorum circumvagationibus, aliisq; ad orationem impertinentibus :/ adhibere satagat ¶ ~~de cætero~~ ut tunc sit absq; metu, nec quidquam de opere divino sibi unquã repetendum esse existimet, nisi aliunde certo sciat, culpam mortalem in eo persolvendo admissam esse. Et hoc maximè etiam evincitur ex benignitate Matris Ecclesiæ, quæ suos filios cum tanto gravamine, ac sæpe cũ periculo amentiæ obligare minimè præsumenda est.

¶ quod si id præstiterit non deerit ei attentio etiam interna et sufficiens ad impletionẽ præcepti, quapropter prorsus consonũ est,

Quod et iis probè notent, qui circa aliæ Ecclesiæ præcepta varios patiuntur scrupulos; nam secundùm D. Anton. supra cit. §. inter duram et benignam circa præcepta /: Ecclesiæ :/ sententiam benigna potiùs cæteris paribus interpretatio est facienda, cuius inter alias rationes hanc etiã reddit, quia scil: præcepta Ecclesiæ non sunt ad tollendã omnem spiritualem dulcedinem, quæ certè tollitur, quando nimis

scrupulosè, et timidè praecepta interpretantur. Consule S. Doct. cit. locô; valdè enim eleganter ibidem de hac tractat materia.

Porrò quae dicta sunt circa recitationem horarum canonicarum, proportionaliter intelligenda sunt de celebratione Missae, secundū quam doctrinam Neomijsta scrupulosus actus suos tutò regulare poterit.

Articulus 9.nus

Quomodo scrupulosus circa confessiones se gerere debeat.

Scrupulus circa confessiones magis grassatur apud indoctos, quàm doctos et hoc praecipuè ob defectū scientiae; Vnde Confessariorum est, huiusmodi homines instruere. Juvat tamen hic desuper pauca subdere.

Noverit igitur "1.mo Scrupulosus, ei summopere expedire, ne leviter confessionem reiteret, "sed peccatis mortalibus, ut ait Taulerus," in ea detectis, et satisfactione peractâ, caetera Deo ~~[illegible]~~ humiliter relinquenda sunt, ac interim remorsus, qui exoriuntur /: donec ille per gratiam suam hominē liberet allevietq; :/ patienter ferendi, cùm humili in divinum placitū resignatione. Haec ille apud Blosiū de consol. pusill.